

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reipol.
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ
Disputatio Trigesima Octava,
De
MORTE CHRISTI

Quam
Annente Θεαυθωπια
SVB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

In privato Collegio ad disputandum,
proponit

LAURENTIUS WIGANDUS
Regio. Boruss.

Habebitur ad diem 19. Decemb. horis pome-
ridianis

In auditorio minori.



WITEBERGÆ

Johannes Gorman excudebat,
Anno cl. l. C XIX.



HXiit nobis haecenus vi-
ta Christi vivendi regula, se-
quitur mors, quæ nostra est
redemptio; quia ergo in præ-
cedentibus viximus cum vi-
ta nostra, moriamur jam
quoq; cum ipso, qui pro no-
bis mortem sustinuit, eandemq; meditando no-
strum continuemus institutum, idq; sequenti-
bus hujus *Διοκρίτωνος* capitibus 4. In quorum
primo mortis Christi veritas probanda venit.
Secundo finis & effecta consideranda. Tertio si-
gna mortem Domini comitantia perpendenda.
Quartum meditatione practica concludendum.

CAPUT I.

I. THESIS. Vt vita Christi varios satanico-
rum organorum passa est insultus, sic non minus
mors; *Menichæus* teste *Aug.* (*lib. 15. contra Man-
tom. 6. operum p. m. 109*) Dominum verè mortuum
negavit & cum Marcione totam vitam Christi in
phantasticam imaginem convertit; hinc quoti-
diè Christum mori, pati, crucifigi, in capis por-
ris portaculis & id genus alijs, docuit: teste eo-
dem (*l. de fide contra Man. to. 6. op. c. 77. p. m. 210.*)
Porphyrius satanica soboles iuste Christum à Ju-
dæis occisum pronunciavit (*in lib. de Theologia
Φιλοσοφίας monente Aug: l. 19. de Civ. D. t. 3. op. p. m.
236.*) *Pelagius* irritam fuisse mortem domini, de-
fendere impudenter ausus est. (*Aug. Epist. 95. t. 2.
op. p. m. 145.*) Quem latent corruptelæ modernorum
hæreticorum? qui dum in vita Christi lati-
bula errorum & blasphemiarum non inveniunt,

contra mortem Domini insurgere tentant. Sed infelici conamine & infausto planè successu; hæret enim soboles calva & Nestoriana cum idololatrica Papali; hæret veperina Photiniana cū fontica Rabbitorum synagoga; quod quam verum. in sequentibus patebit.

Theſ. 2. A veritate Dominicæ mortis exordium facimus; hæc enim nisi peracta verè adhuc hæremus in peccatis; Confirmabimus eandem irrefutabilibus sequentibus fundamentis. I. Sumitur à perfecta mortis definitione, quæ est realis corporis ab anima separatio; seu realis divullio animæ à corpore; decedente localiter illa ab hoc. Exactè hæc accommodatur morti Christi; ut ex Evangelistarum unanimi constat consensu *Matt. c. 28. v. 50. ὁ φῆκε τὸ πνεῦμα* *Mar. c. 15. v. 37. ὁ δὲ Ἰησοῦς ὡφείε φωνὴν μεγάλην ἐξέπνευσεν.* *Luc. 23. v. 46. καὶ πνεῦμα εἰπὼν ἐξέπνευσεν.* *Job. 19. v. 20. καὶ κλίνας τὴν κεφαλὴν, παρέδωκε τὸ πνεῦμα.* Hinc irrefutabile hoc resultat *πρῆσμα*. Quicumq; reverà emittit spiritum seu animam, ita ut localis ejus à corpore fiat separatio, ibi quoq; revera subjectum id, in quo talis fit separatio, moritur.

LI I. 2. Suppeditat nobis testium aliorum consensus. Faterur id 1. *Centurio*; verè fuit &c. & cum eo tota militum astantium caterva. In quorum testimonio obiter *nota*. 1. morientis innocentiam, contra impium Judæorum factum. 2. Personam, contra sacrilegam Photinianorum sectam Posteriorius notatur *Lu. 23. v. 47. ὃν πῶς ὁ ἀνδρῶν ἐστὶ δίκαιος* ἢ *ν* Prius. *Matt. 27. v. 54. ἀλλὰ θεὸς θεὸς υἱὸς ἢ* *ν* *στ*. 2. *astantes quoq; mulieres*; Ecce enim quem reliquerant testes constituti discipuli; hunc securæ infirmæ famellæ mortis veritatem & totius passionis prædicant acta. 3. *miles perforans latus Domini lanceâ*, idq; 1. an plane

mortuus esset, hinc ut cognosceret; vel. 2. Si vi-
veret, hoc tamen modo, tacto scil. corde, ene-
cetur; Vnde Evangelista subiicit: cum mor-
tuum viderent, non fregerunt ossa eius. 4. *Nico-*
demus; is enim dum corpus Domini tollit, idq;
sepelire cupit, mortuum esse testatur, cum se-
pultura solis competat mortuis: Nostra ergo
firma stat conclusio; Corpus Christi revera per
triduum mortuum fuisse; Qua evertimus o-
mnes Calvæ gentis sociorum calumnias, qui-
bus per mendacium nescio quod affingunt no-
bis, ac si veritatem mortis dominicæ evertere-
mus. *Vide Mart. cont. Mentz. Sadael. de V. hum.*
nat. p. m. 84. Vrs. Cat. p. 219. Nota hic iterum obi-
ter annum etiam mortis, cum hic lapsi fuerint
non ex infimis quicq;: Jren. l. 2. cont. Mar. c. 39. § 40.
Cum alijs, de quibus Aug. l. 2. de doct. Chr. c. 28.
annum mortis Christi putarunt fermè quinqu-
agesimum. 2. alij trigessimum. Tert. in lib. adv. Jud.
Clem. Alex. l. 1. Strom. Lact. l. 4. c. 10. § Aug. l. 18. de
Civ. D. c. 54. (sibi litet contrarius, ut patet ex l. 2. de
doct. Chr. c. 28.) 3. Alij tricesimum primum; ut A-
pollinaris (referente Hieron. in c. 9. Dan. Cyril. in c.
9. Esa. Beda in l. de rat. temp. c. 45. Trigessimum
quartum notat, quorū sententiæ nostrum etiam
subijcimus calculum; reddituri in conflictu de
erroribus aliorum rationem, nostramq; proba-
turi sententiam, cujus fundamenti loco hæc ne-
tetur ratio; quod Johannes totum ministerium
Christi disponat per quatuor Paschata, à tempo-
re baptismatis nēpe, quod fuit annus tricesimus.

IV. Circa hoc verò primum caput, innumera
fermè se offerunt quæstiones quarum præcipuas
perspiciemus paucissimis. *Queritur ergo 1. quo-*
modo mors Christo convenerit, cū mors sit peccati pa-
na Ge. 2. 17. Rom. 5. 12. § 17. c. 9, 23. 1 Cor. 15, 21. Ep. 6, 6.
1. Tim. 5. 6, Eze. 18. 7a. 1. Christus vero. 1. sit immunis
ab omni peccato in, cujus ore nō inventus est dolus

de spiritu sancto conceptus *Matt. 1. 6. 20. 2.* princeps vitæ, in mortem tenens imperium? R. Stipendium peccati mors est *Rom. 6. 23.* quâ perire coacti fuissent omnes, si stipendium id per mortem non fuisset sublatum. Id v. cum præstare nullus posset ex peccatoribus, præter eum, qui sine peccato & esset & potens pro omnibus satisfacere posset; Filius Dei in se, poenam, quæ alijs persolvenda erat, recepit, & ob id simpliciter, ut pro nobis satis faceret sua morte, necessarium fuit. *Vnde ad 1. dico: licet Christus fuerit à peccato immunis tam per naturæ assumptæ integritatem nullo peccato inquinatâ; quam per Unionis cum τῷ λογῷ gratiam; mortem tamen sponte subire voluit, quia ob id mortalem nostram, carnem assumpsit, ut mori non propter se sed propter nos posset, derivando nempe poenâ in se, quâ non meruerat ipse. Ad 2. R. Aug. cont. Felic. Princeps vitæ habens in mortem imperium, quæ Deo, per naturam divinam, sed non tantum, verum et per naturam humanam nempe ob unionis gratiam, Christus est, ita tamen ut destruat in natura eum, cui propter peccatum tota erat subiecta natura; adde quod Dominus vitæ in media etiâ morte manserit unde vicissim eleganter August. Mors magis moritur in Christo quam Christus in morte (in Expl. Psal. 50. to. 8. op. p. m. 256.) Concluditur ergo, Christus ut moreretur, fuisse necessarium 1. ob patris voluntatem, 2. ob liberationis necessitatem, 3. ob vaticiniorum impletionem 1. *Cor. 15. 3. Gen. 3. 6. 25. Ps. 16. 10. Act. 2. 6. 30. c. 13. 36. Da. 9. 26. Es. 53. 8.**

V. 2. An Christus in morte reverâ fuerit Homo? Hugo de Sanct. Vic. l. 2. de Sacra: partit. 1. c. pen. Löb. l. 3. sen. dist. 22. L. A. 7. m. 607. affirmant 1. Hugo sic procedit; quod Hominis esse consistat in anima, ita ut anima sit totum suppositum, utens tantû corpore accidentaliter; unde licet in morte cessarit corporis

& animæ nex9; manserit tamen nihilomin9 revera
Christi anima integra & ita Christus homo. 2.
Lombar: quod Divinitas susceperit hominem, assu-
mtum autem nunquam deposuerit 3. quod con-
junctio corporis & animæ hominem constituat;
quæq; licet à se invicem in morte fuerint separa-
ta, manserint tamen integra in λόγῳ. 4. quod si ces-
sasset esse homo, cessasset simul esse mediator cū sit
mediator secundū utramq; naturā. 5. quod sit sa-
cerdos in æternū; Sacerdos autē necessariò homo
debeat esse; tutatur sententiam. Nos cum *Thoma*
negativam tenemus (*art. 4. sum. Theol. part. 3. quest.*
5) & Christum in morte verum hominem fuisse
negamus 1. quod vere fuerit mortuus. 2. carens a-
nima & vita; unde subsumtio nostra talis: Omnis
vere mortuus carens vitā, & in quo cessat parti-
um essentialium totum suppositum constituen-
tium, actualis combinatio, is revera non est ho-
mo; R. e. quod per se 1. corrumpat, cum pars non
possit esse suppositū totū, licet ea sit principalior,
unde totius quasi esse depēdeat. Ad 2. unionē con-
siderari non tantum ratione totius assumti sed &
partū; Quod semel assumit nunquā deponit; sed
verbum assumit carnem & animam, quæ nun-
quam deponet; unde licet naturalis interveniat
corporis & animæ solutio; retinet nihilominus as-
sumtū λογῳ in partibus, & ita in partibus to-
tum; licet in partibus à se invicem natura-
liter distinctis; hinc assumtum consideratur. 1.
ut in se constat perfecta partium cohæsiōe & co-
pulatione. ut singulæ partes totius copulatæ nō
sibi invicē, sed alteri, tertio nempe; hoc ergo
modo assumtum nunquam deposuit λογῳ. Ad
3. Partes essentielles constituere totum, nempe si
invicem sibi uniantur immediatē non, vero al-
teri; unde cum sit duplex in Christo unio, eadem
quoq; necessario sunt distinguendæ. Nam est 1.
A 4 corpo

corporis & animæ; in hac si fieri debet suppositum totum nempe homo, ut immediatè actu sibi invicem copulentur hæ partes, necesse est, unio personalis, in qua caro & anima copulantur λόγῳ, non ut unum constituent suppositum naturale, sed Personale, quod sit homo Deus; Ad 4. Corpus licet morte naturali fuerit mortuum, non tamen ob id à λόγῳ divisum; mansit enim etiam in morte, quod assumptum à λόγῳ erat, in λόγῳ; perfectum igitur est mediatoris officium. Adde; quod non valeat instantia, ut pluribus ostendetur in conflictu. Ad 5. loquitur id non tam de actu administrationis, quam successionis jure, hoc est, non quasi Christus semper actu sacerdos sit futurus, sed quod nunquam ei quisquam in hoc sacerdotio sit successurus. Adde; quod nec in morte sacerdos esse secundum humanam naturam defuerit, quatenus nempe fuit unitus perfecte τῷ λόγῳ. Ex dictis ergò patet 1. Personam filij Dei nunquam assumptum deposuisse. Ubi notanda dura locutio *Connimbricensium* (l. 1. Phys. Art. c. 2. quæst. 2. art. 4.) solutam fuisse *Unionem verbi, & humanitatis*. 2. Partes essentielles in constitutione totius, sibi invicem copulari immediatè, necesse esse; hoc iterum nota contra *Lomb.* & adhujus partes defledentem *Polanum* (l. 6. Synt. Theo. c. 18. p. 394.) statuentem, mansisse in λόγῳ humanitatem, nempe, quia partes ejus, personæ τῷ λόγῳ manserunt unitæ; id enim si verum, erit Christus in morte homo, & non homo; non homo, quia mortuus erat; homo, prout partes ejus erant divinitati unitæ, quod vult *Lomb.* 3. Totum suppositum necessario omnes partes requirere, nec, si ulla essentialium absit, posse subsistere; quod est contra *Hugon.* 4. Ad esse rei necessario ponendum esse actum, & non sufficere solam potentiam. Latere ergò lavare videntur scholasticorem illi, qui, dum *Thomam & Lombardum* conciliare

iliare student, & (ut Bonaventura lib. 3. sent. diff. 22.) vel Christum aptitudinaliter hominem fuisse, vel materialiter (ut Alexander de Ales.) vel improprie (ut Biel lib. 3. dist. 22.) dicunt, meris se contradictionibus implicant, & eo ipso, quo Christum hominem in morte mansisse statuunt, ex homine non hominem faciunt. Pro Conclusionem hujus questionis & hoc additum volumus, nos hoc nostro asserto, quo dicimus, Christum mortuum, verum non fuisse hominem, minimè patrocinari impie assertioni Pagnini & Bezae, corpus Christi cadaver appellantium; cum i. ad cadaveris appellationem necessario requiratur putredo, quæ quàm sit aliena à corpore dominico, testatur Paul. Act. 26. 31. ex Ps. 16. 2. non puri hominis, sed ipsius filij Dei mors sit; qua de re rectè Scholastici: Non assumpsit Christus opprobria corporis mortui, quia illis nil potuisset nobis mereri.

VI. 3. An in morte fuerit soluta unio personalis? id videtur posse elici ex dictis quibusdam. Nam 1. Joh. 10. 6. 18. inquit Christus: Ego potestatem habeo deponendi animam; Quæ certè potestas non competere videtur humanitati; Divinitati Ergò, quæ animam deponere potuit, & hac depositione Unionem inter se & animam humanam solvit. 2. Matt. 27. exclamat Dominus; Cur dereliquisti me Deus meus? Si ergo relictus fuit à Deo, non fuit eidem unitus, homo Christus. 3. videtur idem arguere & ipsa corporis Christi mors realis; Nam, si non potuit corpus nisi anima discedenti mori; multo minus potuisset divinitate presente, cum ipsa multo magis vivificet quam anima. R. Nihil solidi continent questionis hujus dubitationes, cum constet ex supradictis hujus Unionis etiam in morte veritas, & inviolata corruptio, ob quam Dominus vitæ etiam in morte appellatus est Christus. Ut enim rectè Thomas, Sicut gratiam non tollit nisi peccatum, ita

ita multo magis ipsam unionē quicquā solvet præter peccatū. Quare licet anima *τοπικῶς* à corpore discesserit, perpetuo tamen in *ὑποστάσει* filij Dei mansit, ut ait *Damas. l. 3. de Orth. fid. c. 27. Ad 1.* ergo Cum omnis potestas sit data carni, ideoq; & hæc; unde caro propriam ponit animam Ad 2. de dilatione auxilij divini, non duarum in Christo naturarum divulsione id intelligendum esse; nā si propter querelam facta esset hæc naturarū divulsio, sequeretur quod non demum facta fuerit in morte, sed ad huc in vita, cum Christus exclamaret; aliter ad hoc argumentum respondent alij; querelam hanc Christi ad orationem in hortu peractā, quā petijt, ut auferetur de se calix iste, referendam esse, quem tamen bibere sit coactus & sic non exauditus à patre; sed prior nobis placet responsio magis. Ad 3. vita quatenus refertur ad corpus, dependet ab anima, quæ id formaliter informat; unde cessante hac cessat & illa; divinitas verò vivificat corpus Christi effectivè tantum, idq; non ex necessitate sed ex voluntate; Vnde et si caro Christi sit etiam in morte vivifica Ioh 6. non tamen formaliter; sed prout est corpus filij Dei, non minus in morte, quam in vita. Colophonis loco in hac quæstione nota impietatem *Perkinsij* scribentis *Tom. 1. op. p. 256. in Expl. Symb.* mortem secundam etiam in Christo fuisse, quam definit per separationem corporis & animæ à Deo.

VII. *Postremo tandem queritur, An recte ex morte Christi æterna ejus negetur divinitas? Ita putant Photiniani, quorum discursum audiamus brevibus. Sic catech. Raco. de cogn. Christi c. 1. p. 55. Zeig: mir wie das der rechte Vernunft zuwider ist? Erstlich also das zwey Wesen / die in den eigenschafften eines dem andern zu wider ist / keines weges in einer Person können vereinigt werden / als da sind: sterblich und unsterblich / einen anfang haben / und ohn anfang sein / wandelbar und unwandelbar sein /*
Ofer.

Oster. in inst. Ger. p. 41. c. 6. Ist Gottes Sohn warhafftig
gestorben wie er dann gestorben ist / vnd ist nun ein Sohn Gots
tes / so ist ie. offenbat / das derselbe / da er gestorben / nicht zu
gleich hat leben können. Sed nota turpissime ludere hæ
reticos; • *μὴ βάσει εἰς ἀλογίαν* Quæ enim de
corporibus merè Physicis sunt accipienda, illi ad
Christi personam duabus constantem naturis ac
commodant. 2. pessimè tanta mysteria ad stultæ
rationis trutinam examinare. 3. diversos confun
dere respectus malitiosè; hæc ergò immota ipsis
fundamenta opponere 1. attributa opposita in cor
poribus merè Physicis subsistere non posse. v. g.
mortale & immortale; posse autem optimè in
corpore Christi *ὑπερφυσικῶ* & Deificato. 2. At
tributa illa contrarià non uno & eodem prorsus
respectu tribui Christo, sed pro discretione & di
stinctione naturarum. 3. serinio rationis tanta in
telligi mysteria non posse, cum cæca sit, & quæ
spiritus Dei sint, non percipiat. Plura dare de his
angustia pagellarum vetat.

CAPUT II.

The. 1. Finem mortis Christi cum effectis cõ
jungimus; mortuus enim est non frustra, sed no
bis ut aliquid suâ morte efficeret; nominabimus
hic fructus: quorû. 1. *Est plenaria pro peccatis totius
mûdi satisfactio* qua ratione mors dicitur hæc filij
Dei sacrificium præstitum pro mundo & propi
tiatio pro ejusdem peccatis. Confer. Es. 53. v. 6.
Ioh. 1. v. 29. Ioh. 1. 7. *Nota hic* 1. quod Christus verè
mortuus sit pro peccatis, non ergò frustra. 2. non
proprijs sed alienis. Dan. 9. v. 26. Rom 4. 25. Vnde
ὑπερ ἡμῶν mortuus dicitur Rom. 5. v. 8. 2. Cor. 5.
v. 25. 3. omnium & omnibus; omnium quia san
guis ejus est propitiatio non tantum pro nostris
sed etiam totius mundi peccatis 1. Ioh. 2, 2. est a
gnus Dei tollens peccata totius mundi Ioh. 1. tam
piorum

piorum quam impiorum 2. Pet. 2. v. 2. Rom. 14. v. 16. 1. Cor. 14. II. Omnibus; tam originalibus, Rom. 5. 19. quam actualibus, Esai. 53. v. 4. 4. quomodo? in se derivando. E/ra. 4; 26. pro ijs luendo, Rom. 4. v. ult. planè auferendo, Rom. 3. v. 3. Hinc factus dicitur sacerdos noster, dum se obtulit pro nobis semel in ara crucis.

II. 2. à maledictione legis & aeterna morte liberatio Galat. 7. v. 15 factus est *νάδραμα* propter legis maledictionem, destruxit-que suam mortem mortem, Ose. 13. v. 14. 1. Cor. 15. 14. Heb. 2. v. 14. cuius maledictionis tanta fuit in ipso magnitudo, ut ob eam cepit *ἀναιρέσειν τὴν ἁμαρτίαν, ἧς ἡμεῖς ἐσμὲν* & *ἐκείνου* anima eius fuerit ad mortem; tanta etiam agonia, ut pori sanguinis scilicet larent guttis, Luc. 22. 44. grumorum instar, Heb. 5. 7. ipseque luctaretur quasi cum morte, Matt. 26. v. 37. ut intensissimè orare ob id inceperit, Lu. 22. 44. Sic ergo, ut dictum, legem implevit, factus mediator inter Deum & homines, ut sanguinis sui effusione & interventu mortis confirmaret testamentum semel constitutum; Morte ergo destructa nulla est condemnatio in his, qui sunt in Christo Iesu, Rom. 8. 1. morimur; sed non morimur, quia per mortem, vi mortis Christi, transimus ad vitam.

III. 3. *Vitæ aeternae collatio*; Mors enim absorpta in victoriam est, cum pro te mortuus sit Rex vitæ, tu ut, viveres æternum. Dicitis his utere, candide Lector, contra multifarios & pestiferos errores. 1. *Zinglianorum*. 2. *Pontificiorum*. 3. *Photiniamordum*.

IV. *Cinglianorum* 1. *absolutum decretum*; Hoc enim quamdiu manet, evacuatur mortis Christi efficacia; opponimus ergo huic constantem hanc nostram thesin: *Electi sumus ante jacta mundi fundamenta* *ἐν χριστῷ* Ephes. 1. 4. quæ evertimus omnia, quæ nobis objicit Calvinus lib. 1. Inst. c. 21. sect. 11. Kenned. in aurea salut. cate p. 116. Zanchius l. 1. de nat. Dei tom. 1 op. p. m. 408. Keco. Bito. Trelea. & alij: 2. *maledictam particulam* *ἵνα*; quæ totam filij Dei *ἀπὸ πάντων* in minimam convertit particulam; mortuus enim est pro omnibus; Vnde thesis ipsi opposita hæc nostra esto; *Ἰπὲρ πάντων ζώντων* *ἠθανέντες*, Lib. 2. 9. nec salvabunt se abusu distinctionis scholasticæ

Ricæ inter *efficientiam* & *sufficientiam*, ut contendit *Paræus* in *Ireni. c. 26. p. m. 142.* & alij, cum *sufficientiam* per nudam tantum *potentiam* omni excluso *actu* definiant; sic se aperte explicante *Toscano*. Vide quæ scribit *Paræus* in *Comer. super Apoc. c. 5. v. 11. p. m. 219.* in quibus adversarium sibi ex professo habet *Muscolum* in loc. sub. tit. *de redempt. p. m. 226.* Manet ergo mors Christi *καθολικώτερον*, & maxime universalis. *3. male dicitur ἀναστασει*, quâ mortem æterni Dei Filij in mortem *ἑνὴν ἀναστασει* transformant; hinc mori pro mundi vita, naturæ proprium aliquod somniant; Sic pessimè prædicationes *I. S. gen. Comm. Latiumatum* confundentes, mortemq; Christi omni efficacia quasi spoliantes; Unde hæc ipsis nostra stat thesis contraria; *Mors Jesu Christi est mors ipsius Filij Dei*, solus enim Deus nos à malis liberare potest, *Psal. 130. 8.* præcipue à peccato, legis maledictione & æterna morte; quæcirca mori pro mundi vita, non *ἰδιωμα* naturæ, sed *ἀνορέλιον* est totius personæ; ita tamen, ut quælibet natura agat quod proprium est, cum communicatione alterius; non ergo mors solius est humanitatis, sed huc etiam accedit Divinitas, per se quidem *ἀφικνῶν*.

V. 2. *Pontificiorum inconstantiam*, quâ *i.* affirmant quidam eorum, Christum tantum pro originalibus satisfacisse peccatis; quidam satisfacisse quidem pro omnibus, interim tamen ut & nos pro a quilibet commissis aliquid de nostro adderemus. Contra quod impium assertum hæc stat thesis: *Gratiâ salvati sumus per mortem filij Dei. 2. Idololatricum*, asserunt, *Missa sacrificium*; contra quod scito; semel se Christum obtulisse, & sine sanguinis effusione (quæ cessat in Missa) *Heb. 9, 22* non fieri remissionem peccatorum. Animadvertite hîc *Perkins.* ineptias in *expl. Symb. p. 662. tom. 1. op.* quibus alere, in quo factum sit Christi sacrificium, fuisse dicit Divinitatem, eum ob finem, ut illud tantum in nudi hominis transformet.

VI. 3. *Photinianorum i. temeritatem*, qua asseverant, potuisse Deum alio modo homines salvare, & velle etiam, quam per mortem Filij, ut scribit *Socin. præf. c. 14. 15. 16. Smalc. contra D. Fran. in loc. de Chri. offi. contra Smi. p. 142.* Cõtra quos nota brevib9

sequen9

sequentia fundamenta. 1. *Unum illud medium Deum elegisse & ho-*
luisse; electi enim sumus ante jacta fundamenta mundi; sed in
 Christo Iesu. 2. sine morte non potuisse satisfieri legi, cum id
 requirat ejus maledictio. 3. nolle Deum sine justitia salvare præ-
 varicatorem *Pro. 22. v. 17.* 4. legem necessario fuisse implendam.
 2. impiam blasphemiam, quã asserunt 1. mortẽ Christi ad peccatorũ
 remissionem non pertinere, nec pro nobis Christum satisfecisse, sed potius exemplum aliquod reliquisse. Contra quod nota:
 ut per hominem mors & peccatum, ita per solum Christũ
 vita & liberatio *Rom. 5. 18. 2.* hominem posse implere legem di-
 vinam & per se satisfacere ei; contra quod assertum manife-
 ste testatur scriptura, quod non sit qui faciat bonum, & ne u-
 nus quidem *Eph. 2. 1. Psal. 14. 3. 1. Cor. 3. 5. Rom. 7. 3.* sibi Christum
 suã morte multa meruisse (in quo errore cum *Anbaldinis in*
Apol. Elect. Theol. opposita in defen. arg. 38. p. mihi 43. Pontificios ha-
 bent *ουνοψυχας*) nẽpe universale dominiũ, exaltationem, nomen
 supra omne nomen; Contra quos pro conclusione hujus capi-
 tis nota 1. quod ea quæ Christo data sunt, non ex merito sed
 gratis data esse testetur scriptura. *Phil. 2. 2.* gloriam hanc habu-
 isse dominum longe ante mortem; manifestavit enim eam sa-
 pius *Ioh. 1. 2. & c. 3.* exaltationem non propter passionem, sed
 post passionem, sibi ex gratia tamen donatã, plenariã usurpati-
 one ingressum esse. Discant ergo distinguere *ordinem & causam.*

CAPUT III.

Thes. I. restant miracula, quorum 1. est solis Eclipsis, de qua
 scribit *Orig.* quem sequitur *Perkins.* quod visa tantum fuerit in
 Iudæa: Sed contradicit ipsis manifesta veritas Græca: *ἐπὶ πᾶσιν*
καὶ ὅλην τὴν γῆν. Contradicit quoq; *Tertut* ut *Apoll. c. 21. Euseb. in*
Chron. p. m. 69. Oros. l. 7. 7. imò ipse *Suidas* ut testatur *D. Seln: part.*
pad. 2. Christ. Quæritur hinc an *Eclipsis hæc fuerit naturalis?* nos ne-
 gamus, reddaturi rationes in conflictu, quarum fundamentum
 hoc nota, quod scil. naturalis fiat tempore novilunij, hæc vero
 facta sit in pleni lunio, quod *πενσέλην* & dicitur.

II. 2. Veli scissio, Vox Græca sonat *καταπέσομα*, Hebraeis *תִּרְבַּח*
 de quo *Exod. 26. v. 32. 3.* quæ ruptio indicat. 1. *Unitatem Ecclesiarum;* ut
 enim ex sancto sanctorum & templo unus factus hæc ruptione
 locus, ita ex duob; populis una facta est Ecclesia, cœli apertionẽ;
 obstabat velum, quo minus cuivis ad sanctum sanctorum pate-
 ret aditus; rupto velo; ecce jam cœlum intrare possumus *Heb.*

6. 12. c. 20. 2. 3. *Legis Ceremonialis sublatio*; rumpitur à Supremo ad i-
mū; insignum jam cessatura holocausta, per quorum sanguinem
introjerat summus Pontifex sanctum sanctorum; atq; hunc cul-
tum legalem ablaturum eum, qui intravit non per sanguinem
vitulorum in sanctum sanctorum, sed per proprium, nobis æ-
ternam reparans pacem.

III. 3. *terra motus*, de quo *Euseb.* norat, à gentibus quoq; fuis-
se eum observatum, & in Bythinia multas domus evertisse.

IV. 4. *Petrarum fissio*. Finduntur petrae & ecce obdurantur
hominum corda: compatiuntur creatori saxa, & nullà commi-
seratione tangitur homo.

V. 5. *Monumentorum apertio*; non poterant Christum patī
homines, ecce verò pandunt se monumenta ut Christo dent
locam: Vivum homines abiciebant a se, ecce offert se terra ut
capiat mortuum.

VI. 6. *Mortuorum resurrectio*. Perspice hinc efficaciam
mortis Christi; vix enim obierat vitæ Dominus cum efficaciter
operaretur jam mors ejus; mortui enim surgunt, & corporibus
quidem, ut non tantum animæ sed nec corpora in morte ma-
neant.


VII. 7. *Lateris filij Dei apertio* tandem miraculum nobis suppe-
ditat maximum; qua de re asseverando affirmat Evangelista,
oculis se proprijs illud videri, ne ob magnitudinem dubitare-
mus, nec eo audito rem parvi momenti fuisse, statueremus. *Nota*
hic 1. Occasionem qua factum fuerit, ut aperiretur latus Christi;
erat hæc Judæorū simulata pietas, quâ Pilatū adierunt, rogâtes,
ipsis ut copia crura frangendi crucifixorū eosq; sepeliendi fieret,
ne scī aspicientibus abominabilis esset intuitus eorū sabbatho.
Viri nebulones, religiosi in sabbathū, & contumeliosissime interim
tractantes sabbathi dominum; & factum ipsum, de quo ait Evan-
gelista; cum jam vidissent Christum mortuum, ossa infracta re-
liquerunt, sed militum quidam, latus ejus perfossit. Hac de re
præclare Aug. mature moritur, ut impediatur fractio; impedi-
tur fractio ut fiat scripturarum completio. Nemo ergo forte
fortuna factum hoc accidisse putet. Circa hoc quæritur, *Cur*
Christo ossa fracta non fuerint? R. brevibus ex ipso textu, ut im-
pleretur scriptura, quæ duplex *Exodi nempe* 12. v. 47. & *Zach.* 12. v.
10. prior est *Typica*; posterior *Prophetica*; *Typica* ad agnum Paschalens
Vet. Test. respicit, cujus frangi ossa Dominus prohibuerat; *Agnus*
Pascha.

Paschalis Novi Test. Christus est Ioh. i. tollens peccata mundi
 cujus sanguine obliti postes cordium nostrum servantur ab
 interitu eterno. Obiter detegitur hoc loco *Phantastica* *usque*
via Calvinistica, quæ quid commune habeat cum fractione cor-
 poris Christi, testatur Evangelista, *non frangetis eos*: Propheti-
 cæ certitudinem comprobavit eventus; Quaritur 2.
Quisnam ille qui domini latus aperuit, fuerit; Evangelium *Nicodem*
mi Longinum dictum fuisse ait. Scholastici hujus nugis super-
 addentes phantasias, cum dixerunt & forte fortuna per aspersio-
 nem sanguinis Christi visum recepisse, placido figmento, & ju-
 cundâ phantasia confinxerunt. Nos tacente scripturâ, nostrum
 etiam in hac parte, re nempe minimè scitu necessariâ, suspen-
 dimus judicium, & consequens; ecce enim aperto latere, sangu-
 is & unda copiosè profluit *Columbus*; *Βερεκκίδιον* fuisse tactum
 putat, aqua repletum; quem errorem sequitur *Perkins*. *in serie*
causa. scilicet. 5. dnm. p. 20. c. 1. ap. c. 8. & in exp. symb. p. m. 659. Ideoq;
 naturaliter id factum putant, sed i. contra omnes instituta est
 hæc expositio Orthodoxos. 2. Anatomicos. 3. clarâ evertit li-
 teram, afferentem non guttatim aquâ stillasse latus, sed ean-
 dem copiosè effluxisse; Nos etsi finem ignoramus; destituti
 nempe hoc in loco literâ clarâ, orthodoxè tamen dicimus, 6.
 fuisse miraculum singulare; Unde etiam tantâ asseveratione
 asserit Evangelista, oculis se proprijs vidisse, ne de eo, quod nar-
 ravit miraculo, debitaremus, 2. liquore distincto fuisse signifi-
 cata Novi Test. Sacramenta utraq; nam & hoc tradit facta-
 scriptura, nempe eadem per aquam & sanguinem in Nov. Test.
 esse peragenda. *Vide Heb. 9. c. 10. v. 29. c. 12. v. 24. 1. Pet. 3. 19. Zac. 9. 11.*

CAPUT IIII

Hæc tua, mors Christi, ô homo, sit meditatio: mors enim
 Christi tua mors est, pro te enim mortuus est; sed & vita, ut tu
 viveres; Quo pacto ergo jam non viveret, pro quo moritur vi-
 ta? Quo modo timebit reus, quem absolvit justitia? Sit ergo
 mors tua, ô pie Christe, mihi in morte vita, &
 sine morte vita!





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

AS SACRÆ
na Octava,
CHRISTI
εὐαγγελίου
IDIO
IS MEISNERI
& P. P.
disputandum,
IGANDUS
lis.
emb. boris pome-
nori.
GÆ
excudebat,
XIX.

